Quand on aura enlevé à Pierre d'Espagne ce qu'il a emprunté à Constantin et ce qu'il a emprunté à Zacharie, il ne lui restera en oculistique que la renommée d'un mauvais copiste.

IV

Le traité de Zacharie n'est pas volumineux : il est bien moins important que celui de son contemporain, Bienvenu de Jérusalem. Mais tandis que Bienvenu relève de l'école de Salerne, Zacharie nous apparaît comme un des derniers sectateurs de l'école grecque. Bienvenu a beaucoup voyagé ; sorti de Salerne, il a parcouru l'Italie, la Provence, est venu sans doute enseigner à la primitive école de Montpellier, vers la fin du XIIe siècle ; il a visité les îles de la Méditerranée, les côtes barbaresques ; il a été en relation avec les Sarrazins; il parle fréquemment de sa pratique. Zacharie paraît avoir été plus sédentaire et sa carrière a dû se partager entre Constantinople et l'extrémité de la péninsule : il ne nous parle de sa pratique que pour nous dire qu'à son retour dans sa patrie, il fut sollicité de faire des élèves et d'enseigner la science de l'ophtalmologie. Il s'y refusa : peut-être ne tenait-il pas à multiplier les praticiens de cet art. Ce n'est qu'au bout de trois ans de clientèle qu'il se décida à dévoiler ses secrets, jalousement tenus cachés, et à composer son traité. Ce détail vient à l'appui d'un fait que nous connaissions déjà : la pénurie de chirurgiens et d'oculistes au XIIe siècle.

Tel fut Zacharie, et voici le modeste traité qui nous reste de lui.

Avignon, novembre 1906.

Dr P. Pansier.

MAGISTRI ZACHARIE

TRACTATUS DE PASSIONIBUS OCULORUM

QUI VOCATUR SISILACERA

ID EST SECRETA SECRETORUM

COMPILATUS CIRCA ANNOS 1143-1180

LIBER PRIMUS

I. Proemium

Apud paloen (1) nostre artis tractatores pauca quidem et obscura in latinis codicibus de oculis reperiuntur: de quibus Galenus multum brevem fecit doctrinam et nobis obscuram. Nos autem tam bonam artem valde utilem esse latinis antropis et necessariam cognoscentes, nec a ullo latinorum acquirere valentes, Constantinopolim, prout melius potuimus, pereximus, ibique quod anima nostra desiderabat, invenimus in palatio Emmanuelis (2) imperatoris, scilicet Theophilum perfectissimum et peritissimum medicum in theorica et practica et cyrurgia. Cui adhesimus et familiariter promisimus. Sicque de cyrurgia oculorum et aliarum rerum nos dei amoris et pecunie instruxit. Nos autem per tres annos neminem instruere voluimus, sed in quarto anno, divino precepto, omnes ad nos venientes, prout melius potuimus, instruere proposuimus, sicut a nostro magistro audivimus, et vidimus, et etiam nos in multis propriis manibus experti sumus, ita tamen quod utilia scribemus et superflua resecabimus.

Incipimus (3) igitur, et a deo mirifice oculorum preclaram doctrinam instructi, nec ava-

(1) Sic probablement pour *veteres*, **παλαιούς**, ou **πολλούς**, *multos*. Le manuscrit de Florence porte: pollenarum.

(2) *Manuelis*, in Ms. de Florence.

(3) Le manuscrit de Paris porte: *iuocemus*.

ritia ducti, eam additam et propriis manibus expertam communicavimus. Deinde in adjutorium nostrum deum invocantes, ne imperfectam et diminutam doctrinam nostram superfluam faciamus (1).

II. De tunicis oculorum

Sciendum autem quod tunice oculorum sunt septem, quarum prima dicitur retina; alia secundina; tercia sclirotica; quarta, tela aranea; quinta, uvea; sexta, cornea; septima, conjunctiva.

Humores qui purgantur per oculos quandoque sic purgantur quod quidam illorum pervenit ad primam tunicam, et non amplius procedit, et facit quandam infirmitatem que dicitur gutta calida. Que curatur cum quodam lapide rubeo et aliis experimentis.

Quando quoque unus illorum pervenit ad secundam, et ibi moratur, et facit quamdam infirmitatem que dicitur caligo, que curatur cum tutia et aliis.

Aliquando humor procedit usque ad terciam interius et ibi moratur, et facit infirmitatem que dicitur gutta serena, de qua homo leviter liberatur et hoc cum spuma ficati arietis castrati et aliis.

Quandoque progreditur ad quartam tunicam et ibit creat guttam serenam et aliam, de quo nisi divino miraculo non liberatur,

Aliquando pervenit ad quintam tunicam et facit ibi nebulam.

Aliquando pervenit ad sextam et facit apostema lucens de quo quis non leviter curatur, tamen multum prodest tutia.

Quandoque pervenit usque ad septimam tunicam et facit ibi pannum et albulam qui omnes equaliter curantur.

III. De gutta calida

Ad majorum dicendorum intelligentiam, qualiter sunt innate passiones in propatulo declaratur.

Considerate prius si quis habuerit oculos lippidos (2) vel rubeos, ita tamen quod non sit ibi pannus, aut dafriam (3) lacrimam sepissime emiserint, gutam calidam sibi inesse non dubites, que proprie nascitur in prima tunica. Et hec dafria fit de superfluitate colere (4), et

(1) Cette préface est écourtée dans le manuscrit de Florence : *Cui adhesimus et ab eo mirifice in predicta cura oculorum vel doctrina instructi eam auditam et propriis manibus expertam communicavimus, deum in adjutorium nostrum invocantes...*

(2) *Limpidos,* dit le manuscrit de Florence.

(3) Le manuscrit de Florence porte : *dreisman* ou *dreisinam.*

(4) *Calida,* manuscrit de Florence.

nisi in principio curetur, depilat oculos et deturpat nimium quia rubescere facit. Curas autem ipsius in proprio loco dicemus. Ista autem prima tunica dicitur tasigi (1), id est rethina.

IV. De caligine

Si vero passus fuerit unius aut plurium annorum, et oculos pulcros habuerit, in quibus non apparet aliqua macula, et vident sed non acute, et omni littera sibi bipartita aut tripartita apparuerit, ipsum scias laborare tantum caligine que oritur in secunda tunica, que dicitur tycos vel tyros, id est, secundina.

Curas unius cujusque passionis proprio loco dicemus.

V. De gutta serena

Et paciens non bene videt in die, et obtalmos habuerit pulcros, sed post vesperas, occidente sole, videre non poterit; scias ipsum gutta serena laborare. Que passio fit de melancolia et provocatur in tercia tunica, que dicitur catargi, id est, sclirotica.

VI. De gutta zalla

Intuemini iterum si quis habet oculos maculosos, et non bene appareant, sed subtiliter in media pupilla apparuerit album et quandoque croceum, gutta zalla vel zalba gravissime infirmantur. Que fit ex flegmate et melancolia in quarta tunica, que dicitur pepisticugenu vel sisoperitagen, id est, tela aranea.

VII. De kataracta gutta

Prospicite etiam si pupillam penitus habeat coopertam et nihil videat, et quandoque procretatum fuerit, totum similiter inceperit esse : et si manum duxerit ante pupillam, spera, id est forma manus,intus appareat, kataractam guttam patitur. Que fit quandoque ex flegmate,

(1) Le manuscrit de Florence porte : *catafig, taliga vel catafigi.*

quandoque ex melancolia, quandoque ex sanguine, quandoque, ex colera, quandoque ex duobus similiter commixtis. Et fit passio ista in quinta tunica que dicitur frotesmi, id est, uvea tunica.

VIII. De nebula

Si autem in pupilla, vel justa eam, ita quod non ipsam totam, sed in parte (1) videris aliquid subtile quasi nebula, et sibi quasi tela aranea ante oculos transire videatur, ipsum scias infirmari nebula. Que oritur in sexta tunica que dicitur gusis sive viridis vel catasim, id est, cornea.

IX. De albula

Si autem videris in ultima tunica, que dicitur onctrepti (2), id est conjunctiva, que omnes operit et conjungit tunicas, in modico albedinis quod quandoque sanguinolentum est, quod non sit longum, sed quasi rotundum, albulam ibi inesse non dubites. Et hec albula proprie habet fieri ex humoribus calidis adurentibus substantiam ipsius onetrepti. Propter quod nisi sit in principio, vix curatur. Sed in principio per tres dies cum leni medicamine potest curari, quasi proprio loco dicemus.

X. De ungula

Considera etiam si habuerit pannum longum et exilem et minutum, ungulam esse dignoscas. Et dicitur ungula quasi angula, quia ab angulis oculi incipit; quandoque a majori, quandoque a minori incipit. Et similiter protenditur pannus super omnes tunicas ita quod transcendit multotiens pupillam, et diffunditur per totum oculum. Et tunc non ungula, sed pannus nuncupatur. Qui leviter curatur a principio, difficilius in statu, difficillime in declinatione alterius partis.

XI. De panno

Videamus igitur si habuerit oculum coopertum magno panno ita quod totus tegatur oculus vel magna pars. Tunc ista passio simpliciter pannus nuncupatur, et curatur inscisionibus

(1) Manuscrit de Florence : *ita quod non sit ei totaliter sed in parte videatur...*
(2) Manuscrit de Florence : *anotrepia.*

primo, postea apponendo constrictiva et pulveres. Pannus namque improprie et large ungula et albula dici potest.

XII. De macula

Iterum videamus subtiliter si juxta pupillam et in cornea tunica que dicitur gusis, sive viridis, et etiam super pupillam aliquantulum aliud videbis albedinis, quandoque protendit aliquantulum coloris blavi vel flavi, et est exile, et rotundum; quandoque diffusum, sed subtiliter et parvum. Illud tale et macula nuncupatur, et dicitur macula a proposopii quia maculat oculum, et vere, quia quandoque quatuor vel plus, quandoque minus nobis in uno oculo apparebunt. Deum autem testor quod hec passio in principio facillima est ad curandum; in una die unam unciam auri lucratus fui, et ante terciam diem disparuit macula. In confirmatione autem difficiliter curatur.

XIII. De medicinis oculorum

Hiis et aliis multis modis fiunt oculorum passiones, de quibus omnibus perfecte scribam. Transeamus ergo ad medicinam. Sicut enim artifex aliquando materiam de qua debet edificari domum primum considerat, quanta et qualis sit, sic et bonus curator, antequam incipiat tractare, debet prius totam materiam discutire, et discutiendo tractare qualiter debeat vera scribere. Dicit enim Oratius egregius orator :

Omne tulit punctum (1) qui miscuit utile dulci.

Sciatis ergo me materiam prius examinare, et examinata, incipio scribere.

XIV. De regimine

In primis omnis qui oculis patitur sciat sibi providere in dieta. Nam si hoc ignoret, nulla prodest sibi medicina. Panem ergo frumentatum comedat si graviter patitur, et si in juventute aut in puericia, aquam puram bibat : si senex est, et modicum patiatur, album vinum optime limphatum bibat. Carnem edat pullinam aut castratam vel caponum. Caveat carnem porcinam, arietinam, bovinam. De oleribus comedat bletas, malvas, portulacas et cucurbitas ; de fructibus, amigdalas, pruna vel mala, ficus paucas sed bene mundatas in aqua frigida.

De leguminibus non comedat nisi parum ciceris, quandoque de nullo fructu cum nullo acrumine, nullo oleo, nulla re assata : nec multum jejunet, nec ultra modum laboret. Et si

(1) Le manuscrit portait *pugi.*

clericus est parum legat vel scribat, et custodiat se a tactu manuum, scilicet ne tangat cum manu vel cum panno lineo. A vento et sole, nisi sit modica aura, se removeat. Offas non comedat, nec stupham intret, nec nimis abluat caput suum. Omni mane abluat oculos intus et foris medicina propria, cum a lecto surgit, et saliva dum jejunus est : laventur etiam cum aqua tepida si voluerit non cum frigida, cum aceto, et sepissime cum vino et cum agresta.

LIBER SECUNDUS

LIBER ISTE VOCATUR SISILACERA, ID EST, SECRETA SECRETORUM

I. Unde eveniunt passiones oculis

Idem sciendum est quod humores quidam sunt in capite naturaliter, quidam habundantes : superhabundantium quidam emittuntur per os, unde os fit putridum, quidam per aures, unde fit surditas, quidam per oculos, unde contingit oculos lacrimari, et multe perinde passiones eveniunt oculis. Quidam emittuntur non valentes ad plenum exire, existentes in prima tunica (septem enim sunt tunice oculorum ut superius diximus, quibus pupilla fovetur), et ita gutta calida procreatur, et ita curatur, et oculi cito clarificantur.

II. De cura gutte calide

Sume duo vel tria ciminilia et agrestam uvarum : ciminilia instillando immittas ducendo agrestam per ipsa tota : deinde dimittas siccari ad solem et sic facias ter vel quater in die usque ad septimum diem. Postea vero facias cribrare tot cumulos cineris quam sint ciminilia, et super infundas urinam pueri : debet jejunus esse collectam. Et sic dimittas usque ad septem dies et noctes. Septima vero die accipe ciminilia et facias siccari ea ad solem quam melius poteris, et abradas discrete quod affixum est vasilibus,cribra per minimum, et cum ea admisce parum cineris, et postea pulveris illius pusillum (1) cum ilga enea parva facta ad modum cochlearis oculis immittas.

Item de eodem : accipe lapidem qui vocatur antimonium, et facias manere in aceto tribus diebus et noctibus, deinde ipsum involutum in pasta frumenti in ignem combure bene, et tere et pulveriza subtiliter, et oculis sicut superius diximus immitte. Et est sciendum quod antimonium purum per se multum valet ad rubedinem et lacrimam, et si moratur in aceto magis est clarificativum.

Nota quod e gutta calida tres oriuntur egritudines : lippositas, gutta rubea sive rubedo, lacrima sive fistula.

(1) Manuscrit de Florence : *pauxillum.*

III. Medicina ad lippositatem

Accipe unam pelvim et impone bipartita grana piperis et frumenti cum vino albo, et zinzibere frustatim diviso, et dimitte sic spacio trium dierum et noctuum, et de isto oculos ablue, et eis immitte, et specialiter potest uti medicina propria.

IV. Ad guttam rubeam seu rubedinem

Sume de urina pueri virginis jejuni et vini albi equaliter, et bullias in olla nova cum ruta et salvia et radice feniculi et mitte in oculis. Et hoc tale perfectissimum est collirium a me expertum.

V. Ad lacrimas

Lacrimantur aliquando oculi ex superhabundantibus humoribus. Inscidantur vene que sunt in fronte in tribus vel quatuor locis : primo vena que est in fronte et due que sunt in timporibus vel quatuor. Ita debes eas inscidere non ubi videris eas duas vel tres conjungi, sed inferius eas incidas hoc modo : vene ille subtiliter cum acu ferrea triangulata apprehen dantur, et subtus illas ducatur acus ne tangat subtantiam ipsius vene, et trahatur ex alia parte cum filo ei coherente serico, et vena ligetur cum duobus nodis ne sanguis possit exire. Postea inscide ex transverso, et tantum sanguinis exeat quod tibi sufficere videatur. Et tunc stringe filum trahendo capita in plaga una quam fecisti cum flebotomo : ponatur albumen ovi cum stuppa per unum diem : postea lardum per tres dies : deinde ponatur caro porcina salsa macra usquequo filum cadat et putredo emanet, stringendo filum de tercia in terciam diem, parum autem nec cum impetu, quia si cum impetu stringeres, cito caderet filum, et non esset bonum, quia quanto plus morabitur filum apposita carne macra, tanto plus putredo manebit et plaga magis purgabitur. Quandoque vero abluas plagam cum vino calido ad putredinem removendam. Cum fila ceciderunt, ponatur carpia vel unguentem fuscum, et si vultis nihil, quia sine alicujus rei appositione perfecte sanatur.

Item de eodem : abradas caput patienti delicati, quia multi delicati sunt qui non possunt pati inscisiones vel incensiones, et postea ungas caput ipsius cum melle in occipitio, et cum pulvere ungas desuper ter vel quater, et super ponas mirram de corio, et dimitte per tres dies. In tantum constringentur lacrime quod etiam postea nunquam poterit plorare, emittendo lacrimas.

Idem : R. olibani, masticis, labdani in ferventi marmoreo vel testa liquefacta, in quarta (1)

(1) *Sic*, pour *charta*.

bombacina positum super venas predictas quanto calidius quam fere poterit sustinere ponatur.

VI. Ad mordicationem et arsuram

Si vero mordicatio vel arsura sit in oculis fac tale collirium quod multum expertum fuit : R. aloes cicotrini, masticis, litargiri, sarcocolle ana. Pulveriza et cum succo celidonie et pulvere predictorum bene incorpora tantum ut sit bene liquidum, et oculi cum penna impone ter vel quater in die.

VII. De fistula

Ut diximus aliquando fistulatur oculus juxta nasum in angulo lacrimali ex calida lacrima, et per ipsam fistulam putredo exit.

Et ego vidi tales et curavi : foramen illud cum aliquo instrumento calido aperiatur, et amplietur, et penna in albumine ovi infusa immitatur in profundum loci. Et cum apertum fuerit os, iterum aliquod ferrum calidum immittas et decoques radicem fistule. Et si non vult pati ignem, mittatur de unguento ruptorio quod fit de calce viva, auripigmento et capitello, et dimittatur parum, et postea ponas pennam in albumine ovi infusam donec cadat ignis. Deinde cura ut cetera vulnera. Si dolor magnus fuerit, in angulis oculorum, fomentatur de opio, cortice papaveris albi donec ignis cadat.

VIII. Ad lacrimas oculorum

Item accipe aquam rosarum, camphoram bene tritam, misce ; per tres dies et noctes sic maneat. Et cum illo oculos abluat et ponas illud collirium oculo, pulchros facit, et cuilibet egritudini prodest.

IX. Ad caliginem

Item de tunica (1) in qua procreatur caligo que habet fieri proprie in senibus et ita curatur : accipe tuciam alexandrinam et ipsam in lucerna ferrea ad ignem novies ardeas, et novies extingas cum urina pueri virginis, et ter in agresta vel aceto, et ter in aqua rosarum. Deinde teras et pulverem recondas in cimili quodam, et cum ipso de singulis predictorum commis–

(1) Le manuscrit porte *Item de la Tunica.*

ceas, scilicet de urina, agresta et aqua rosarum, et sic usque ad tres dies in secreto loco, ut solis lux accedere eum non possit, eum recundas. Prima et secunda die aquam rosarum superinfundas, deinde abradas et minutissime pulveriza. In vase vitreo reconde, et camphoram quam melius poteris tritam permisceas, et illius pulveris paulisper oculis cochlear immittas.

Hec vocatur tucia : curat albulam, pannum, ungulam, nisi multum fuerit inveterata, et valet ad omnem guttam oculorum, preter guttam calidam.

Item, et maxime ad retinendum visum in sene, accipe parum mellis despumati et mitte in vase vitreo et commisce fella galli, leporis, agni, anguille, falconis, vulturis, ancipitis, similium et omnium avium de rapina viventium, et triginta diebus ad solem totidem quot noctibus ad rorem manari facias : oculis immittas.

Item, accipe aquam rosarum. Cum aqua mixta sit camphora et de illa aqua sume ad libitum tuum, et parum balsami si invenire potes, vel oleum factum ex semine herbe sancti Johannis, et cum vase vitreo tribus diebus ad solem totidem quod noctibus ad rorem morari facias. Deinde oculis immittas. Hoc mire clarificat, expellit nebulam. Dicunt etiam quod valet ad guttam calidam : sed bene scio quod nunquam curatur.

X. Ad guttam serenam

Alii vero usque ad terciam exeunt et tunc procreatur gutta serena que anclotica dicitur.

Hec expellitur ita : accipe ficatum et epar castrati arietis, et ipsum super ardentes carbones ponas, et spumam que inde exit et procedit cum virga enea accipe, et aliquantulum frigere facias, et sic oculis imponas bis aut ter in una hora, et semper aliquantulum tuthie insuper immittas in ipsis oculis, et sic bis vel ter in una die. Et de eadem carne postea similiter comedas et sic usque ad septem dies facias. Transactis septem diebus, si non bene evaserit, accipe totum unum ficatum, et in olla rudi cum aqua coquas, et fumum quod inde exierit oculis et ore recipiat.

XI. De gutta calida

Alii vero usque ad quartam perveniunt, et tunc procreatur gutta calida vel alba, que est incurabilis.

XII. Ad apostema intercutaneum

Alii usque ad quintam perveniunt et tunc procreatur apostema lucens intercutaneum quod sic curatur : accipe grana coriandri, et minutissime teras, et pulverem oculis immittas.

Item accipe nitrum album vetustissimum, ipsumque cum aqua nivis abluas, deinde in mortario cum auricalco teras, prout melius poteris, et cribra cum subtili panno, et illum pulverem oculis immittas. Hec et albugini et panno confert.

Aliter sume locutas, nec virides, nec nimis magnas vel macras, et pone in vino, et dimitte morari ligatas cum filo : deinde sicca in loco remoto a sole, et tere et pulveriza. Et accipe radicem herbe que dicitur primula veris, et eam sicca, et tere ; et utrumque pulverem commisce, et in subtili panno lineo reconde, et pannum cum pulvere in vino mitte, et colaturam in oculo pone.

XIII. De gutta kataracta

Item in eadem tunica procreatur gutta que dicitur kataracta, quam sic curabis.

Kataracta ergo inventa, infirmum ante statue in lucidissimo loco, et sic duobus pollicibus palpebras ipsius infirmi inferius et superius premas, et si, aperto oculo, videris pupillam dilatare et astringere, ipsam scias te curare. Si autem protenderit colorem velut calx coagulata, incurabilis est.

Si autem prosteterit velut ferrum calidum, curandam intellige. Cum autem invenieris infirmum cataractam habentem curabilem, si sit dives, primo insiste purgatoribus purgantibus caput, et sic postea dabis opiatas per quindecim dies ad minus, et precipe ut faciat reddere sacrificium deo pro te et pro ipso : pro te ut deus sit propicius in opere tuo, et pro ipso ut deus exaudiat ipsum. Et tunc constitue ipsum in loco lucidissimo sicut dixi, et sedeat supra scamnum, et tu supra aliud scamnum altius illo scamno, et teneat faciem suam contra te, et tu accipias feniculum vel semen ejus, et sal, et ciminum, et mastica inter dentes, et eis in ore existentibus, hanela fortiter contra oculum patientis satis quantum tibi visum fuerit. Et si unum oculum sanum habuerit, cave ei apponendo vitellum ovi cum bombace, postea accipias acum eneam,et mittas per angulum minorem, et sic impungendo et vertendo acum usque ad pupillam, et cum videris acum per medium pupille, cave tamen pupillam, ne tangas eam aliquo modo cum acu ; sin autem, statim exibunt humores. Et sic inferius premendo catharactam cum sumitate acus, et deinde dimitte eam inferius, et sic, cum catharacta (dimissa fuerit) extrahe acum de oculis ehmovendo autem parum et non cito, quia cum ea evacuaretur oculus. Et similiter sicut prius insuffla predicta eodem modo in oculo, et statim precipe ei ut trahat ad se spiritum quotidie. Et pone statim vitellum ovi cum bombace quater in die et ter in nocte. Et sit usque ad novem dies. In capite decime diei, impone aquam rosarum si habes, sin autem, fac bullire rosas in aqua pluviali, et cum ea oculos abluas per viginti dies au triginta. Inscide ei venas sicut superius diximus.

Nota quod multotiens recidivantur in hac passione, et sic succurrendum est deinceps sicut a primo. Et securus sit quia postea nunquam recidivantur.

XIV. Ad nebulam

Alii usque ad sextam tunicam veniunt. Tunc procreatur nebula que cum collirio sanatur quod superius diximus, sicut cum locustis non viridibus, et cetera.

Item sume virgam novam vinee bene firmam, et ipsam in capite scindas, et in sissura pone frustrum zinziberis albi et cum filo bene liga. Et habeas in quodam vase parum vini

albi ; et lapidem illum, qui dicitur cota, teneas in una manu in eodem vase, et cum alia manu sume predictam virgam, et tamdiu exprime zinziber ducas eam ad illum lapidem et eodem vino reconde (1) filum virge in quo zinziber est ligatum cum ipso zinzibere, si non destruatur. Et idem vinum ad hoc est perfectissimum collirium.

XV. Ad albulam ungulam et pannum

Alii usque adseptimam tunicam veniunt et tunc procreatur albula,et ungula,et pannus que bene possunt sanari,nisi inveterata multum fuerint,pulveribus, colliriis, et herbarum succis. Ungula et pannus si inveterata fuerunt inscidi possunt. Ungula, quia angula, dicitur quia fit in angulo oculi. Si recens est, nolite eam inscidere, sed cum hoc pulvere eam curabis : R. es ustum novies in aceto extinctum et novies in melle, fel caprinum et porcinum, et sal armoniacum combustum, sarcocollam, crocum orientale, aloen cicotrinum : insimul pulverizentur, et oculis immitantur. Valet etiam ad albulam.

Item si ungula est inveterata accipe eam quam melius poteris cum uncis ferreis duobus vel tribus, et eleves eam subtiliter custodiendo substantiam ipsius oculi,et cum instrumento ferreo calvo radas eam evellendo ne tangas tunicam corneam aliquo modo, sin autem statim exeunt humores. Et sic inscide eam ubi habeat finem et ubi habeat principium, scilicet in majori oculo vel minori : deinde habeas bombacem in vitello ovi et superponas per tres dies. In tercia die si videris adhuc ibi aliquid de ungula, inscide eam et pone ovum similiter. Sin autem, accipe mel despumatum et forte vinum rubeum, et pulverem gallarum cribratum per pannum, et pulverem sarcocolle et fac bullire aliquantulum ut tenuitatem aliquantulum habeat et non multam, et sic deinde cum penna oculis immittas quousque purificetur oculus.

Ad albulam accipe virgam avellanarum quam inscidas in capite, et foramen totum imple de granis piperis, et super cotem cum vino albo tandiu ducas summitatem virge ad cotem ut illud virge in quo est piper consumatur cum ipso vino. Sic quoque facias quousque plura grana in ipso vino consumantur. Et illud vinum destruit maculam in oculis.

XVI. Si cadit aliquid in oculis

Si cadit aliquid in oculo lavetur cum mulsa, aqua rosarum, vel lacte.

XVII. Ad maculam

Item de macula si nova est, tange ipsam cum tribus pilis acceptis de pectine mulieris.

(1) Le manuscrit portait l'abréviation suivante ; q° uez.

XVIII. Ad inversionem palpebrarum

Contingit multociens quod ex vulnere vel apostemate fiat inversio quandoque inferioris palpebre, quandoque superioris. Et est turpissima passio.

Debes ergo accipere palpebram et tenere fortiter, et supra inversionem illam debes cum rasorio inscidere, et plagella de plumbo facta, foraminibus perforata cum palpebra suatur, et plumbaceolum in medio ponatur, et ligaminibus pellicula ad superiora comprimatur, et ita per novem vel undecim dies dimittatur : postea plagella auferatur, et curetur ut cetera vulnera. Et hec de superiori.

Si autem inferior palpebra incurvatur vel inversatur,cum rasorio palpebram inscidas, et postea cum tribus vel quatuor acubus cum filo serico, illis coherentibus, palpebra subtiliter perforatur et sic paciens habeat peciam ligatam aut frondem in quibus ponat eadem fila, et sic per novem dies. Et ponatur plumbaceolum ut superius diximus.

XIX. Ad pilos preter naturam existentes

Aliquando pili preter naturam continentur in palpebris, quasi mordicationem aut puncturam in oculo facientes, oculos lacrimari faciunt.

Primitus evellas pilos radicitus cum picciculis, et postea habeas virgam subtilem auri vel eris, et calefactam per loca unde abstraxisti pilos conduces, et sic ponat desuper ovi albumen cum stuppa.

XX. Ad carnem superfluam

Si caro superflua contineatur in palpebris, radas eam cum rasorio subtiliter quam melius poteris, et sic desuper ponas ovum.

Si vero grossities sit in palpebra superiori vel inferiori, scindas palpebram cum instrumento calvo et auferas inde quodam ad modum tassi. Si vis sophisticare infirmum et adstantes, dicas quod illud tale est vermis qui destruebat oculum pacientis.

LIBER TERCIUS

Liber iste dicitur panacrautis, id est liber speculationum, quia multo confuse experta dicemus de omnibus passionibus oculorum prout melius experti sumus.

I. De panno oculorum

Accipe margaritas non perforatas ʒ II, viride eris ℈ III, carpobalsami ʒ I, castorei, olibani, sarcocolle ana ℈ II et ß.

Pulveriza omnia ista in mortario, et postea in vase vitreo cum aqua rosarum confice et incorpora, et dimitte iterum siccari ad solem. Et hoc facias ter vel quinquies. Hoc tale est tucia valde bona et probata a me de panno: destruit maculas et albulam. Nota: si volueris ut sit subalbidi coloris, appone plus de sarcocolla; si viridis, plus de viride eris; et ita de omnibus.

Item ad pannum: accipe sal gemmam, os sepie et stercus humanum siccum, de omnibus equaliter. Quorum singulum ardeas per se in olla nova, deinde ea similiter tere et pulveriza, et cum panno subtilissimo cribra, et illum pulverem in oculis immitte.

Item de eodem: accipe herbam que dicitur morendula, et forte nomen habeat, et eam pista cum sale gemma, vel aliam, et pistata pone in panno lineo, et colaturam oculis impone.

Item de eodem: accipe stercus lacertarum et immittas oculis, vel fel leporis recentis oculis imponas.

Item accipe celidonie radicem viridem et bene cum vino ablue, et pista, et pone in panno, extrahe, et succum purum, vel cum vino albo, oculis impone.

Item, sume decem et octo grana piperis et totidem albi zinziberis in pondere, et succum foliorum edere terrestris. Tere et misce cum predicto pulvere, et habeas vas in quo sit bonum acetum vel vinum album, et hec omnia permisceas, et multum ducas: deinde cola cum panno lineo. Collatura ista collirium est valde bonum, ad pannum, maculam et albulam destruendam.

Item, ad pannum et maculam et albulam destruendam succus edere terrestris melle mixtus, et parum bullitus cum fumo idem operatur, et hoc experti sumus.

Item, sume grana basiliconis et multum tere, et agrimoniam bene tritam, et pulverem commixtum oculis impone.

Item ad pannum et omnem coopertūram, accipe mel despumatum in quo misceas aliquantulum ossis sepie triti, et tantumdem nitri albi bene triti et bene per pannum cribrati, aliquantulum aque rosarum, et dimitte ad solem in vase vitreo tribus diebus et totidem noctibus ad rorem, et oculis impone.

Item, accipe cantarides et tere peroptime, et in timporibus juxta oculos impone, et supermitte parum fermenti quod in aceto sit madefactum, et ligatum dimitte sic usque ad quatuor dies et noctes; deinde aufer illud, et super fracturam quod ibi fecerit, pone edere folia vel vince; et sic portando valet vel evadet. Hoc quoque prodest ungule, panno et omni egritudini preterquam ad caliginem et guttam serenam.

Collirium ad pannum oculorum necessarium: accipe betonicam, absinthium, radicem feniculi, et simul tere, et addatur tercia pars vini albi. Per quinque dies dimitte, deinde fac bullire et cola, et in colatura pone pulverem thuris, masticis et de aloe, quantum de predictis, et bulli usque ad spissitudinem, et quotidie tres guttas, vel duas vel unam oculis impone.

Ad pannum et ungulam et grossiciem palpebrarum, soleas vetustas que invenientur in plateis comburas, et facias pulverem, et misceas cum ligno aloes, et impone.

Aliud: accipe illum lapidem qui invenitur in calce, et non est bene combustus, et aufer totam calcem prout melius poteris, et contere lapidem illum, et cribra subtiliter per pannum et misce cum urina, et dimitte sic per aliquot dies,et postea desicca ad solem, et iterum tere fortiter, et pone in oculis. Sciatis quia cum isto curabitis pannum et grossiciem palpebrarum et ungulam.

Item contra pannum oculorum pone in oculo pulverem istius lapilli bene triti qui post magnam pluviam in undatione invenitur, parum clarus et rotundus,

II. Ad lacrymas oculorum

Quandoque oculi lacrimantur ex debilitate cerebri vel frigiditate aeris, et tunc detur aurea, metridatum, dyaolibanum, et facias istud collirium : corticibus radicum feniculi minutim incisis ollam reple, et vino albo impletur : tamdiu bulliat donec tercia pars consumatur, et diligenter coletur in pelvi eneo cum duabus partibus aloes perfectissimi et tercia parte puri olibani. Per tres dies dimittatur. Postea mane et sero cum penna oculis imittatur. Ad pannum et lacrimas oculorum expertum est, valet contra pruritum, calidaturam ex sanguine quidem factam.

III. Ad sanguinem in oculis

Quandoque sanguis est in oculis sic est auferendus, aliquando coagulatur in pannum (1): accipe ergo succum parietarie et cum albumine ovi mixtum et multum ductum oculis cum bombace impone.

Item succus morsus galline cum aqua rosarum et albugine ovi similiter valet : probatum est.

Aliud. R. dragaganti, gumi arabici, amili, rosarum, ceruse ana ß I, opii ʒ II. Tere et cum lacte mulieris et aqua rosarum distempera et oculis cum penna impone.

IV. Ad dolores oculorum

Abluantur oculi cum aqua pluviali in qua rose cocte sint, et si dolor magnus fuerit, vitellum ovi assum cum oleo rosarum et aqua rosarum distemperetur, et imissum valet.

Ad dolorem oculorum accipe pruna prucia (2) sive silvestria nigra, et ossibus ablatis, pista ea, et succum imittas : vel accipe galbanum et tantumdem thuris, tere et cum ordei farina bene contrita commisce cum albumine ovi, et minutim ducas, et facto emplastro timporibus supermittatur juxta oculum in quo patitur, et sic dimittas usque ad tres dies et noctes. Et hoc emigraneum ubicumque fuerit expellit.

Vel accipe ipsum solum galbanum et ad ignem calefacias et tempori superponas.

Et si totum caput emigranea vexatum fuerit hiis utaris, et hoc aliud agas : accipe radicem ebuli, filicum, et sirpillum silvestre et domesticum (3), et betonicam, et cellidoniam

(1) Je préfère la version du ms. de Londres : *etsi coagulatur in pannum.*

(2) Ms. de Londres, *pruna parva silvestria.*

(3) Ms. de Londres : *radicem ebuli, folia serpilli silvestris et domestici.*

ana, lanam albam succidam ; et hec omnia abluas in aqua, et ea tepida caput abluas, et lanam capiti superponas, et cooperies bene ut sudet..

Ad removendam calorem oculorum : aqua rosarum cum albumine ovi misceatur et manu multum ducatur ut multum spumet. Liquor autem inde exiens illiniatur et stuppa in lana ibi intingatur, oculis et fronti stringetur per noctem : quidam addunt lac mulieris masculum nutrientis.

V. Ad caliginem oculorum

Accipe flores celidonie cum melle et aqua modica : ad consumptionem aque coque, et per pannum exprimendo cola, et usui reserva, et pone in oculis ; probatum est.

VI. Ad lacrimas oculorum

Accipe rutam siccam et mel, commisce, et parum fac bullire, et oculis impone.

VII. Ad tumorem et caliginem oculorum et sanguinem

Accipe verbenam cum albugine ovi tritam, impone. Optimum est.

Item ad sanguinem oculorum : et cum predicta, cinoglosse succus immissus oculis et herba trita superposita : miro enim valet.

Ad sanguinem rosmarinus et succus rute in oculis ponantur cum vino.

VIII. Ad maculam

Si nova est pone sanguinem columbi tribus vicibus in die in oculo, et hoc per tres dies, et statim sanabitur.

Item ad idem, radix virge pastoris accipiatur et siccatur, et fac pulverem et utere.

Hoc valet ad deceptionem faciendam ut videaris quasi ab oculis pannum aufferre : accipe semen centrigalli et pone in oculo, et dimitte parum, postea aufferas eum quasi pannum.

IX. Collirium ad destructionem visus

Accipe urticam vivam tritam, et ollam imple, et testa ovi imposita os olle cera (?) unge melle cooperiatur, et quod calidum urtice exierit vel resudaverit, et in testa collectum

fuerit, oculis imponatur, quod pannis oculorum valet. Tota olla pannis vel furfure cooperiatur.

X. Collirium valens obscuritati oculorum et pannis et prurigini

Accipe aloes, tutie, cadmie, antimonii ana ℈ II, sarcocolle, ceruse, olibani, spice, dragaganti ʒ I, camphore ℈ I. Subtiliter terantur et cum succo feniculi distemperentur et oculis imponatur. Summum est collirium de hac arte.

Aliud collirium : accipe ematites et ducatur in cote cum aqua rosarum vel diuretica donec aqua rubea appareat, cum ea licium distempera, et cum petia oculis imitte.

XI. Collirium quod lacrimas constringit et oculos clarificat

R. emathites, calciteos, ana ℈ II, memite, rute, galange ana ℈ I ; subtiliter tere, et cum succo feniculi distempera, et cum necesse fuerit oculis impone : et mane et sero oculi laventur cum aqua in qua faber forcipes et ferrum infundit.

HIC EST FINIS
LIBRI MAGISTRI ZACHARIE
QUI VOCATUR SISILACERA, ID EST,
SECRETA SECRETORUM.

TABLE DES MATIÈRES

LIBER TERCIUS.



MONTPELLIER. — IMPRIMERIE GÉNÉRALE DU MIDI.

OUVRAGES DU DOCTEUR P. PANSIER

LES MANIFESTATIONS OCULAIRES DE L'HYSTÉRIE, Paris, Alcan, 1892, in-8°, avec planches en couleur.

TRAITÉ DE L'ŒIL ARTIFICIEL, Paris, Maloine, 1895, in-8°, avec figures.

TRAITÉ D'ÉLECTROTHÉRAPIE OCULAIRE, Paris, Maloine, 1896, in-18°, avec figures.

HISTOIRE DES LUNETTES, Paris, Maloine, 1901, in-8°, avec 19 figures et 6 planches hors texte, traduit en anglais, *the dioptric Review*, 1905.

TRACTATUS DE HYPOPIO, AUCTORE J.-C. PANSIN (1785), *medicinae professore in Universitate avenionensi*, publié pour la première fois avec introduction historique, Paris, Maloine, 1901, in-8°.

LE COMPENDIL DE BIENVENU DE JÉRUSALEM POUR LA DOULEUR ET MALADIE DES YEULX, texte français d'après le manuscrit du XV[e] siècle, suivi du texte provençal d'après le manuscrit du XIII[e] siècle, par H. Teulié. Paris, Maloine, 1900, avec 2 planches hors texte.

COLLECTIO OPHTALMOLOGICA VETERUM AUCTORUM

Tome I

FASC. I. — *Arnaldi de Villanova libellus de confortatione de visus. — Johannis de Casso tractatus de conservatione visus.*

FASC II. — *Congregatio sive liber de oculis quem compilavit Alcoatin, anno* 1159, précédé d'une introduction sur l'histoire des oculistes arabes avec nombreuses figures.

FASC. III. — *Epistola Ihesu filii Haly de cognitione infirmitatum oculorum, sive memoriale ocularioriorum quod compilavit Ali ben Issa*, avec les deux textes juxtaposés de la traduction arabo-latine et de la traduction hebraïco-latine des manuscrits de la bibliothèque nationale et des incunables. Paris, Baillière et fils, in-8°, 1903.

Tome II

FASC. IV. — *Magistri David Armenici compilatio in libros de oculorum curationibus Accanamosali et diversorum philosophorum de Baldach*, publié pour la première fois d'après les manuscrits, ibidem, 1904, in-8°, avec une planche hors texte.

FASC. V. — *Magistri Zacharie* (1143-1180) *liber de egritudinibus oculorum qui vocatur sisilacera id est secreta secretorum,* publié pour la première fois d'après les manuscrits, 1907.

FASC. VI. — *Anonymi tractatus de egritudinibus oculorum ex dictis sapientium veterum compilatis* (XIII[e] siècle), précédé d'une étude sur la pratique de l'ophtalmologie dans le moyen âge latin (sous presse).

FASC. VII. — *Liber de oculis Constantino adscriptus*, publié d'après les manuscrits et l'édition de 1515 (sous presse).

(En collaboration avec A. Pamard) : **LES ŒUVRES OPHTALMOLOGIQUES DE P.-F.-B. PAMARD (1728-1793),** Paris, Masson, 1900, in-8°, avec figures et 6 planches hors texte.

(En collaboration avec le professeur H. Truc) : **HISTOIRE DE L'OPHTALMOLOGIE A L'ÉCOLE DE MONTPELLIER DU XII[e] AU XX[e] SIECLE.** Préface de M. Liard, vice-recteur de l'Université de Paris. In-8° avec 31 figures. Paris, Maloine, 1907.